

regem quam regnum oculo carere, præstat regem quam regnum claudicare: *nec enim corporis deformitate animus fædatur, sed pulcritudine animi corpus ornatur.*

(α) Curtij locus est lib. vi. cap. 5. §. 29. ad quem cum Freinsheimius plura non incongrua notavisset, subjungit verba Petri Cunnæ, qui Curtiū tacite reprehenderit, *Quare profecto non jam barbarorum illud duntaxat, sed hominum etiam excultissimorum est, majestatem corporis venerari, magnorumq; operum illos capaces putare, quos eximia specie natura donavit. Aristotelis, maximi autoris, scitum est, si qui nascantur tanto alis corpore excellentiores, quanto simulacris hominum antecellunt Deorum imagines, dignos videri reliquos, qui his serviant.*

### De Tertia.

Hic audiemus Justum Lipsium ex libro secundo Politicorum. Capite nempe tertio verum & legitimum Principatum sic definit, quod sit *unius imperium, moribus aut legibus delatum, susceptum gestumq; parentium bono.* Quod si quæras, *Uniusne viri an fœminæ intelligat imperium,* respondet ille, *Utriusq;* sed illius (viri) maximè, quia jubet sic *natura.* Τότε γὰρ ἀρρεν φύσει τῆ θήλειος ἡγεμονικώτερον, *Quicquid masculinum, naturam magis factum ad imperandum quam fœmineum.* Etiam *ratio;* nam palam est quod ille conditor nostri Deus fœminis quidem peccus instruxit dolis, sed vim negavit; nec constantiam dedit (nulla diu fœmina pondus habet); ne prudentiam quidem plenè, & plerumq; muliebri consilium deterius. Atqui hæc imperij sunt vera instrumenta. Sed adde & vitia: quia non imbecillis tantum & impar laboribus hic sexus, sed si licentia adsit, sævus, ambitiosus, sæpe lubricus. *Quam in lubrico tunc Respublica?* Nec enim fœmina, amisâ pudicitiam, alia abnuerit. Deniq; indecorum & servum nimis hoc servitium. Doctor meus (Tacitum intelligit) de barbarâ quapiam gente, *Fœmina dominatur*